

24.9.96

Armin Benedikter, Weinstr.60, I-39050 Girlan (Italy), Tel.0039/471/633131, Fax 633047

Exc.mo Domino

Episcopo P.Roberto F. McKenna OP

MONROE

Connecticut/USA

Res de qua agitur: P.Raphael Cloquell eiusque praevisa ordinatio seu consecratio episcopalis intra unum mensem habenda

Excellentissime Domine,

antequam in medias res veniam mihi pauca de me ipso dicenda sunt, ut me tibi debito more repraesentem:

Vir sum 33 annos natus, civis Reipublicae Italicae, natus Bauzani, in urbe capitali provinciae homonymae, quae etiam Tirolis Meridionalis (South Tyrol) vocatur et post Primum Bellum Universale, quamvis tunc fere exclusive ab incolis germanicis habitata, ad Italiam adnexa est (quare mea lingua materna paternaque sermo germanicus est). Scholam frequentavi gymnasium seu lyceum humanisticum seu classicum quod vocant (apud Patres OFM), quo finito in Universitatibus Patavii (Italia) et Oenipontis (Austria) studiis iuris seu legum incubui et nunc magister sum in urbe mea patria, sc. Bauzani. Iam puer semper ad res ecclesiasticas et ad fidem pertinentes inclinatus eram (etiam organista fui in vico meo patrio), et abhinc sex annos (gratias ago Deo!) inveni personas fideles, et sacerdotes et laicos, necnon scripta (libros et diurnarios menstros) quibuscum communicando et respective quibus legendis mihi persuasum fuit (id quod iam antea vage senseram et praesagiveram) concilium Vaticanum II quod vocant realiter apostasiam vel initium generalis apostasiae hierarchiae fuisse et omnes ritus catholicos post hunc eventum ita mutatos esse, ut partim plane invalidi, partim dubii habendi sint utque non liceat fidelibus his novis "sacramentis" uti fruique.

In sex annis supra dictis, quibus veram fidem veraque sacramenta repperi et solos coetus fidelium adii, a quibus haec suprema bona Ecclesiae coluntur, varios catholicorum coetus et multas personas, sive sacerdotes, sive laicos, cognovi, imprimis catholicos (sedisvacantistas) Austriae et Germaniae meridionalis: in his numerandi sunt praesertim Exc.mus Dominus Episcopus Dr.Günther Storck, a quo iterum sacramentum confirmationis accepi (antea secundum novum ritum confirmatus eram), aliique fideles et sacerdotes Monachii degentes et operantes, deinde fideles Ulmae, Caroloruhae (Karlsruhe) et Saraviponte (Saarbrücken) habitantes (imprimis professor Wigand Siebel, auctor catholicus notabilis), denique fideles pauci in finibus Austriae degentes. Cognovi etiam coetum sacerdotum qui Verruae Savoiae habitant et ibi seminarium habent, unum ex his etiam personaliter (Patrem Curtium Nitoglia), alteros ex diurnario "Sodalitium" inscripto legendo.

Dicere debeo etiam me abhinc plus quam decem annos consilium cepisse sacerdotum adeundi, idque consilium hodie quoque retinere, sed actualiter quaestus causa coactum esse laborem exercere. Nolui in seminarium ab Exc.mo D.no Storck directum intrare, quia sciebam tunc ibi funestam philosophiam fichteianam doceri. Verum est post mortem D.ni Storck eam philosophiam a sacerdotibus Raphaelae Cloquell et Jacobo Baird, adiutis a laicis Monacensibus, expulsam et condemnatam esse. Sed ne tunc quidem consilium meum sequi potui quia, ut certe scis, sors seminarii Monacensis dubia esse coepit, adversariis fichteianis causam contra coetum catholicum moventibus.

Alia quoque controversia intra ipsos fideles catholicos antifichteianos post mortem D.ni Storck initium habuit, qua de primatu sacerdotum aut laicorum in Ecclesia gubernanda certabatur. Notum est Patres Raphaelae Cloquell et Jacobum Baird traditam Ecclesiae disciplinam defendisse eaque de causa a laicis (Sorore Gertrudi, Dr.Filser, Dominicella Fuchs et aliis) ex capellis Monachi et Ulmae sitis expulsos nunc Stutgardiae habitare, unde varios catholicorum coetus frequentant sanctas Missas celebrantes sacramentaque ministrantes. Ambo Patres bene novi eorumque amicitiam adeptus sum.

Nunc autem quaestio nata est de P.Raphaelae episcopali dignitate afficiendo, et compertum habeo multas ad te litteras pervenisse negative de hac re respondentes. Quibus litteris, melius dicam earum auctoribus mihi visum est quae sequuntur opponere:

Initium facere velim a Fichteianis. Illi non possunt non esse adversi Patri Raphaelae, eo quod fuit Pater Raphael is qui plus quam alii contra eos certavit et sic de fide catholica integra et inviolata servanda optime meritus est.

Sermo non dissimilis faciendus est de his laicis (Sr.Gertrudi, Dr.Filser aliisque) qui valde irati sunt contra Patrem Raphaelae eo quod eorum dominium in rebus ecclesiasticis repudiavit et disciplinam Ecclesiae instaurare conatus est. Isti homines superiorem (sc. Episcopum) recognoscere nolunt et

anarchiam, quae nunc est, protrahere student. Quare mirandum non est eos, invidia et timore motos, omnia moliri, ne Pater Raphael episcopali dignitate insigniatur. Hic mentio facienda est ipsas personas supradictas abhinc tres annos sacerdotem elegisse, qui abbas nullius (et postea episcopus) consecraretur, qui sacerdos (loquor de Patre Marcello Marmodé) post hanc electionem fidem totaliter amisit. Num hoc est testimonium positivum de bono iudicio discretionisque eorum ipsorum qui nunc ordinationi P. Raphaelis adversantur?

Valde doleo etiam sacerdotes Taurinenses (Patrem Ricossa eiusque confratres) ordinationi P. Raphaelis se opponere. Hi enim minime se immisceant his rebus agendis, eo quod legitimationem moralem ad id faciendum minime habent. Ubi fuerunt, cum P. Raphael et P. Jacobus adversus Fichteanos pugnaverunt? Minime eos sustinuerunt, sed tacendo neutraliter se gesserunt: ne ullum quidem commentarium in suo diurnario ("Sodalitium") pro parte catholica et contra schismaticos (P. Eugenium Rissling eiusque amicos, e.g. D. num Heller) ediderunt. Et ob aliam quoque rationem his sacerdotibus iudicium de sacerdote ad episcopalem dignitatem promovendo non licere videtur: nonne hi sunt iidem, qui etiam D. num Francum Munari sustentarunt, qui postea fidem totaliter amisit et apostata factus est? Nuda invidia moti contra P. Raphaellem aquas turbare student, etiamsi praedicta ordinatione nullum damnum susciperent.

His omnibus praemissis pauca addam positiva, quae pro Patre Raphaelle ordinando loquuntur. Habet is omnia requisita obiectiva ad id grave munus suscipiendum praescripta:

- sacerdos valide consecratus est;

- quattuor annos in seminario studiis philosophicis theologicisque incubuit (verum non est, quod quidam adversarii dicunt, eum unum tantum annum in seminario fuisse);

- novem annos in cura animarum se exercuit aestimationem multorum fidelium adsequens, linguae difficultatibus (difficilis enim lingua germanica ei discenda fuit) non obstantibus;

- non nimis juvenis esse videtur, quia iam quadragesimum aetatis suae annum complevit;

- magna est in eo scientia iuris canonici, rei liturgicae necnon generaliter earum rerum, quae ad practicam administrationem Ecclesiae pertinent;

- in commercio hominum facilis est (sed minime indigne se gerit), magna psychologiae humanae scientia pollet variaque hominum genera bene distinguere ideoque proprie et adaequate tractare scit, id quod mihi quidem magni momenti esse videtur in bono pastore;

- pius est et fidem infantiae suae hodie quoque prae se fert, et ego ipse huius rei testis sum, quia saepe eius comes eram cum per valles et oppida Tirolis iter faciebamus varia genera religiosarum rerum quaerentes; notavi eum valde peritum esse de arte christiana;

- saltem quattuor linguis iisque pro fide ad Ecclesiam catholicam defendendis perutilibus loqui scit: hispanica, franco-gallica, italica et germanica (anglicam eum discere scio);

- multas personas catholicas, tam sacerdotes quam laicos, cognovit in variis Europae terris viventes seu operantes, ita ut praedestinatus esse videatur ad Ecclesiae unitatem promovendam, qua de causa etiam eorum, qui nunc eius ordinationi obtrectant, saltem aliquos post consecrationem factam eum episcopum recognituros esse sperandum est, idque facilius accidet si tu quoque, Exc. me Domine, ei manus imposueris;

- quod si adversarii quosdam parvos defectus in eo vituperantur (e.g. quod tabaco fruitur) respondendum est hos habitus non esse peccaminosos, nisi exaggerate fiant, ceterumque, si hominem cunctis rationibus perfectum quereremus, nos neminem umquam idoneum, qui Episcopi dignitatem susciperet, inventuros fuisse.

Quare te, Exc. me Domine, modeste et humiliter precor, ut P. Raphaellem tam bene de Ecclesia meritum (ob eamque rem a multis adversariis circumdatum) ad Episcopi dignitatem promovere ne renuas, sed, praemisso severo examine candidati (de cuius bono exitu mihi dubium non est), ei una cum Exc. mo D. no Olivario Oravec manus imponere velis, quia hic eventus ad ecclesiasticam disciplinam instaurandam, ad catholicorum in Germania (et Europa) unitatem promovendam itaque ad bonam causam sanctae Ecclesiae generaliter defendendam perutilis erit omnesque fideles, si tu quoque ad ordinationem veneris, augmentum virium animorum suorum suscipient ad perseverandum in fide, cunctis necessitatibus et periculis quibus Ecclesia his temporibus angitur non obstantibus.

Exc. me Domine, dum veniam peto pro nimia longitudine huius epistulae, doleo me latino sermone non tam bene scribere valere, ut brevis me exprimam. Quare tibi gratias ago pro patientia tua et in omni humilitate et modestia

filialiter et devote te saluto

Dabam Bauzani, die 24 mensis Septembris (die natali meo) A.D. MCMXCVI